

P V I S



1 6 0 3

LVI

C A R M E N

56

DE CAUSIS AMORIS

CONIUGALIS IN SACRUM NU-

ptiale viri eruditione & virtute præstantis, Magistri

Petri Suelund Flensburgensis, & pudicæ virginis

Margarethæ Hakemans Hambur-

gensis, scriptum

A

M. PETRO HARRINGO

HATSTEDIO.



Anno 1563. die 18. Decembris.

VITEBERGÆ

EXCVDEBAT LAURENTIVS

SCHVVENCK.

1 5 6 3.

71

LVI
C A R M E N

DE CAVSIS AMORIS
CONINGALIS IN SACRVM NV.
piale puri conditione et virtute praestantia, Magistri
Patri Suedum Fleisburgensis, et pudice virginis
Margarethe Flakmanns Flakmanns
genisse, scriptum

M. P E T R O H A R T I N G O
B A T T E D I O



Anno 1763. die 18. Decembris.

VITAE ERCE
EXCVDERT LAVRENTIUS
SCHNAPENCK

1 7 6 3



DE CAUSIS AMORIS CONIUGALIS.

Quæ colitis castas purissima numina mentes
Pierides huc ferte pedem, sacra plectra mouete,
Ista dies vestros cantus & carmina poscit,
Solennes vestri tædas celebretis alumni.
Aurate dociles arguto pollice chordas
Percute Phæbe lyra, chordasq; imitare canendo,
Fatidico sacrum depromens pectore carmen:
Post quoq; præsentis timido mihi suffice vires,
Vt possim Clarij sacra connubialia sponsi
Vel breuiter tenui modulando ludere canna.
Post cælos, terram, mare, plantas, sidera, pisces,
Post genus aligerum, pecudesq; ferasq; creatas,
Mens æterna hominem formauit, & indidit illi
Iusticiæ propriæ radios & lumen honesti,
Notitiãq; sui illustrem, legisq; tenorem:
Sic vt sacra Dei luceret imago satoris
In mente humana, cui libera iuncta voluntas
Congrueret, pectusq; vltro sequeretur honestum,
Nulla fuit cunctas inter discordia vires.
Addita erat niueo purissima flammula cordi,
Sincero fomes sacer assignatus amori,
Quo læti autorem digno coleremus honore.
Hic status, hæc fuit illa hominis perfectio primi.
Sed miser illecebras sectans fraudesq; colubri
Incidit in iustas diuini numinis iras,
Amisitq; datam lucem atq; autoris amorem.

Obducta informis caeca caligine mens est,
Concussum est trepida pavidum formidine pectus,
Diuinisq; bonis, omniq; orbatus honore
Hausit vipereum per membra per ossa venenum,
Et planè est furnis immersus faucibus orci.

Illum etiam nitidum cordis quem diximus ignem
Improbis infecit stygia fuligine serpens.
Hanc igitur, ceu cuncta nouat, reparator & author
Amisae vitae, purgat quoq; pectore flammam
Æternum lumen patrio de lumine Christus,
Corda renatorum cœlesti Flamme mundans.
Vndè fit, vt possit sanctè vxor amare maritum,
Ceu primæua parens purè dilexit Adamum:
Vndè fit vt sponsi rapiatur amore puella,
Suscipiatq; ipsum socio redamata cubili.
Vana poëtarum valeant figmenta iociq;
Qui memorant pharetram, paphiosq; Cupidinis arcus
Nescio quas flammæ, quæ tela vel arma ferentes.
Parue Cupido vale, tibi nulla nec arma, nec arcus,
Nulla tibi mater, nulla est vis, nullus & ipse es.
Et mentita parens nullam Cytherea fauillam
Pectoribus nostris potis est immittere, nullos
Distribuit cestos, nec amoris semina, nusquam est.
Semen amoris alit nostro sub pectore fomes,
Appositus cordi primæua in origine mundi.
Hic fomes qua concipiat ratione latentem
Ignem, qui in rapidas assurgat postea flammæ,
Dum tædas thalami canimus, dicamus oportet.
Per bibulos oculos blandi incenduntur amores:

Collisis

Collisis radijs oculorum è corpore bino,
Concipiunt flammæ radij redeuntq; vicissim
In secreta repercussæ penetralia sedis,
Externasq; faces calida in præcordia ducunt,
Quas sitiens avidè fomes, quem diximus, haurit,
Atq; ita flagrantum binos conglutinat ignes,
Fiat vt vnus amor, gemino qui corde quiescat.
Sic animæ binæ visu miscentur in vnam,
Vnam animam vt dicas habitare in corpore bino.
Et Cato amantum animas alieno in corpore dixit
Viuerè, nec proprio sed amato in corde morari.
Hinc fit vt alterius tenearis amore, nec ipse
Tactus amore tui, potius tua commoda quæras,
Quàm cordi alterius promptè placuisse labores,
Sed dilectæ animæ vt placeas sit summa voluptas:
Et malis subitò vitale relinquere lumen,
Quàm pectus quod amas vel solo offendere verbo.
Tantas ille faces positus sub pectore fomes
Concipit, & tantas haurit per lumina flammæ,
Lumina sæpè animæ blandam præbentia sedem,
Dum specularis ouans vel rem vel corpus amatum.
Excubat inq; oculis amor, & sua tela coruscat:
Sæpè quis occultum benè dissimularet amorem,
Hic nisi per liquidos oculos se proderet ipse.
Sæpè quis alloquium reticet, linguamq; coërcet,
Ne quod amat, vulgo sola vel voce salutet:
Sed dum non benè amoriferos auertit ocellos,
Luminibus iaculans blandos stellantibus ignes,
Fit manifestus amor, se per sua lumina prodens.

Fortè sed hìc quæris, num tales esse nefandos
Ignes, illicitasq; faces dicamus amoris,
mictantib. Quas bibulus radijs oculus instantibus haurit.
Ut non omne bonum est, quod promiss gutture, verbum,
Sic non omnis amor bonus est, quem pectore condis.
Si bonus est animus, nusquam à virtute recedens,
Non nisi sancta tuo deduces gutture verba,
Si bene purgatam cœlesti lumine mentem
Spiritus æthereus diuina lege gubernat,
Immaculatus amor, diuinus amor, Iouis igne
Purior, & Veneris nitido formosior astro,
Legitimæq; faces animos & corda subibunt.
Nam talem Deus ipse suo sub pectore flammam
Nutrit, inexpleto nati qua flagrat amore.
Talis & in Christo manet immutabilis ardor
Erga sponsa tuum diuina Ecclesia pectus.
Non iubeo quenquam vitare Cupidinis arcus,
Sed moneo Sathanæ blandum vitare venenum,
Quod mixtum fumis Erebi, & fuligine Ditis,
Infectum fœtore Stygis, taboq; Megæræ,
Tartareiç aliqua tinctum dulcedine mellis,
Spargit in incautos oculos turbator amorum,
Pestifera furtim defœdans lumina tabe.
Id sic haustum oculis cæca in præcordia fertur:
Cuius ab influxu, menti fit iniqua voluntas,
Et cor detrectans sacras rationis habenas,
Imperium nullum patitur, nec lege tenetur:
Quò iuuat ire, ruit, spreto & rectore vagatur.
Sicut vbi excussis currus rapiuntur habenis,

Per

Per iuga, per sepēs, per denia rura, per æquor,
Quadrupedesq; rotæq; volant, volat axis, & ipse
Vix auriga rotis hæret miserè, omnia lapsum
Omnia præcipitem casum ruitura minantur.
Heu mihi quàm miserè, tali torpedine pectus
Spurcatum, Pluto piceo ditione fatigat, †
Conceptasq; faces Nessæo ventilat igne.
Tale cor angelicas fugat, offenditq; cohortes,
Quæ tantum sanctos homines comitantur, opemq;
Ferre student castis, quoties fortuna requirit.
Tale cor Aonides fugat, offenditq; sorores,
Obscænas mentes obscæna cubilia semper
Implacabilibus fugientes æstibus iræ,
Tantum tinctæ sacris habitantes pectora lymphis.
Tale cor oderunt superi, quod turpiter atris
Improbis halitibus Pluto maculauit Auerni,
Atq; agitât quocunq; libet, rectoris habenas
Excutiens animi, sic vt sine lege vagetur:
Non aliter quàm cum reclusis Æolus antris,
In mare veliuolum sæuit, nauemq; tumentes
Fluctus sulcantem inuadit, rapidisq; procellis
Intortam rotat huc illuc, & turbine clauum
Eripit attonito nauæ, ludibria ventis
Vela volant, vasti monstrant nigra Tartara fluctus,
Pulsantes iactò sublimia sydera malo.
Cœlicolæ multum sed consuetudine gaudent
Illorum, quos sancta trahunt oracula vatum,
Quos pia sacrarum tangit reuerentia legum.
Talibus ætherea delapsus spiritus arce

Cordibus

Cordibus instillat diuini semen amoris,
Et cœli radijs sensus illuminat omnes,
Sic vt non nisi iusta velint, & recta sequantur.
Ergo tuus sincerus amor Suelunde, tuum cor
Legitimis flagrans facibus, tua gaudia lecti
Cœtibus Angelicis, Musis, Superisq; probantur.
Ecce tuis præfert tædis sponsalibus ignem
Spirituum studiosa cohors, quem lampade demtum
Ætherea his thalami sacris concessit Olympus.
Parnassoq; procul deductas monte sorores,
Dulcisonam impellens cytharam, præcedit Apollo:
Illæserta ferunt hilares, & munera sponso,
Ipsius hymnisono cantantes carmine laudes.
His quoq; Numen adest, verbo quod cuncta creauit,
Tædis, & licitum cœlesti purgat amorem
Flamine, conceptasq; faces illuminat igni
Æthereo, cæcæq; fugat caliginis umbras,
Quas cor adhuc veteris pomi retinebat ab esu:
Sic vt purus amor mundati regnet in aula
Pectoris, æterno Christi qui congruat igni,
Semper inexhausto sponsæ qui flagrat amore,
Quam subito in cœli gemmata cubilia ducet.
Talis amor Petri in tostis nunc ossibus hæret,
E teneris secreta trahens alimenta medullis,
Quem nitida æternus purgavit Spiritus aura:
Sicut vbi Titan discussis nubibus atris
Aëra perfundit Phœbeæ lampade lucis.
Quod tibi principium fuerit, quæ causa furoris
Tam placidi dubitas? Non temporis illius horam
Mente

Mente tenes, quò Petre tibi flammantia castè
Margaris oppositos in lumina torsit ocellos?
Istud tempus erat tibi fons & origo caloris,
Nam prius illius faciem per sepe notaras
Luminibus tacitis, sed tunc incendia pectus
Prima tuum sensit, quando suspiria ducens
In tua defixit radiantem lumina ocellos,
Occursuq; sacro iubar inflammavit utrinq;
Illa tibi dulcem flammam instillavit amoris,
Illa tuos hausit radios æstumq; vicissim,
Alter & alterius flagrantem imbibit ignes,
Quos sacer excepit latitans in pectore fomes,
Succenditq; abstrusa cavi penetralia cordis;
Inde per occultas serpsere incendia venas,
In totum penitus flammis grassantia corpus.
Ceum latitans occulta legit Vulcanius ardor
Pabula, secretis primum contentus aceruis,
Mox maiore ruens strepitu petit ardua tecta,
Depascitq; trabes & ligna ardentia lambit,
Et iam per patulas se ostendit flamma fenestras:
Sic primum arcanas latebroso pectore flammam
Fouistis, taciteq; rudem nutristis amorem,
Qui post in reliquos se sustulit altius artus,
Incenditq; ipsas calefacta per ossa medullas:
In toto accensus iam corpore spiritus ardet,
Fulgidulo ingenuam frontem, malasq; decentes
Oraq; venarum roseus tumor induit igne.
Nec iam flamma latet, per luminis emicat orbes
Fulgor, amorq; imo repetit suspiria corde.

B

Nec

ligna

Nec mora, nec requies, donec tua gaudia Petre
Margaridi iungas, licitoq; fruamini amore:
Nocte dieq; sacras tædas & fœdera lecti
Voluitis ingenio, sacra solum hymenæa petentes.
Et iam tempus adest, quo fausto sydere longum
Post desyderium, gratam venietis ad aram.
Roscida purpureis surgens Aurora capillis,
Splendidus solito radiantem illuminat orbem.
En caput auricomum rutilo sustollit ab ortu,
Inq; chori speciem Sol subsiliendo videtur
Ludere, letificumq; sacris portendere tædis
Auspicium, risumq; nouis, & gaudia sponsis:
Omne tam fausto cupidi iunguntur amantes,
Quos diuturna salus manet, & longæua voluptas.
Et vobis pietas vestra istam atq; inclyta virtus
Fortunam meruere, fauent his numina tædis.
Non meliore Petrum donassent coniuge diui,
Non meliore viro potuisset sponsa potiri.
Ille Deum iusso sanctè veneratur honore,
Quaq; opus est, Christum pietate, fideq;prehendit.
Imbuit & placida cor mansuetudine, sanctas
Iusticiæ callet leges, & quid sit honestum.
Nobilis ingenuos tradit quos Ethica mores
Assumpsit plenè, & solerti possidet arte.
Pectus ab infreni placidè se temperat ira.
Eius & in nullo mixta est iniuria factò.
Quod vegetæ menti Pallas concessit acumen,
Pegasidum fratri primis sacrauit ab annis.
Fontibus Aonijs os mercuriale rigauit,

Posit

Posit ut arcanos musarum dicere sensus,
Illarumq; decus dignis extollere verbis.
Nouit quas vires Æstati infundat Apollo,
Humida quos arcus stellarum Luna pererret,
Quid Gradius agat, cœli quo tramite currat
Mercurius, Qua parte sui Venus hæreat orbis,
Fœcundo instillans virtutem lumine rebus:
Quaq; benignus agat cursum Saturnius, & cur
Falcifer hybernos imitetur frigore vultus.
Nouit cur Titan breuiores tempore brumæ
Efficiat soles, & nocti præbeat umbras
Longius: Æstati contrà det tempora somni
Exigua, & longas extendat lucis habenas.
Nouit cur terras Phæbo auctus Sirius vrat,
Cur sæuus pluuias trahat, & mare turbet Orion.
Vrania hæc docuit, paruo quis carmine cunctas
Arteis enumeret? quas suauiter ore rotundo
Musæ ipsi cecinere nouem, quibus ipse capacem
Assidua cura studiose præbuit aurem,
Et bibit ambrosios cantus, animoq; recepit.
Nam Pimplea procul nympharum est castra secutus:
Audiit Italiae Musas Phæbæa canentes
Carmina, Varnouijq; senis responsa notauit,
Leucoridum voces didicit, dictante Philippo.
Et Gryphsualdiacos diuino rore scatentes
Fonticulos, quondam studiosis faucibus hausit.
Ille scholam docta qui voce manuq; gubernat,
Artibus ingenuis puerilia pectora formans,
Nempè vel in Christi gratam crescentia laudem,

B 2

Aut

Aut ad ciuiles leges ventura regendas,
De genere humano præclare nonnè meretur?
Sed maiore beat nos vtilitate, tenellas
Qui domat heroum mentes, atq; imbuit ipsos
Pulchro virtutum studio, Christiq; timore,
Donec adhuc tenera est, donec tractabilis ætas,
Postmodo ne discant scuire imitando tyrannos.
Talis erat Linus, Aonidum qui roscida sacri
Amphitryoniaden docuit iuga scandere montis,
Vernanti instillans alimenta salubria menti.
Talis erat Chiron, qui mansuesecit Achillis
Florentes annos, ipsum virtutibus augens,
Pieridumq; docens sacras & Apollinis artes.
Talis & est Petrus, qui nobile stemma Barones
Vngnadios docuit diuinas Palladis artes,
Omnibus ingenuos mores virtutibus ornans,
Vllius haud vsquam laudis vel honoris egentes.
Sed nec iter Linus ad cælos, nec tradere Chiron
Herculis, Æacidæq; graues potuere magistri.
Petrus alumnorum sitientes imbuit aures
Diuinis radijs, & corda capacia lucis
Æthereæ accendit cælestis lumine verbi.
Vt nunc non tantum sapienter regnet Adamus,
Subiectis iustas leges, & iura ministrans:
Sed quoq; diuinis ausit se fortiter armis
Obijcere hæreticis, sacris rationibus ipsos
Et vegeto verbi cælestis robore vincens.
Nec minor ingenio, non inferiora secutus
Dauid honorato certissima gloria fratri,

Diuitis



Diuitis in patriæ magnum succrescit honorem.
Eius virtutem, formam, moresq; probatos
Docti Gallorum cœtus reuerenter adorant:
Quem blandæ Charites, Phœbus, Phœbiq; sorores
Per sacros hortos & tesqua virentia ducunt,
Et largè instillant docili sua munera menti,
Nullos thesauros cupido nec dona negantes.
O sancti fratres, heroum corda genusq;
Et laudem formæ celebrata à stirpe trahentes,
Quis vestras dignè celebrârit carmine laudes?
Ceu plures inter flores duo lilia crescunt,
Et decus eximium præbent redolentibus hortis:
Sic pulchrè celebres heroas crescitis inter,
Egregium patriæ decus ornatusq; futuri.
Tales Tyndaridæ fratres florentibus annis
Conspicua Oebaliæ surgebant gloria genti.
Ergo quòd illustres sua te Suelunde Magistro
Virtutis posuere sacræ documenta Barones,
Tota tibi summas reddet Boiemia grates:
Et memini hos laudare tuos Suelunde labores,
Angelica qui nunc letatur luce, Philippum.
Hinc quoq; Margaridos pulchræ intueamur honores,
Hamburgum patria est vrbs laudatissima sponsæ,
Quæ patris illustri est Hacmanni sanguine nata.
Maternum genus antiquo de stemmate ducit,
Quod cines celebri SEVENVM nomine dicunt.
Sed sua Margaridi diui quoq; dona dederunt:
Huic summum ingenij Pallas concessit acumen,
Cœlitus & castum Iuno est largita pudorem.

B 3

Huic

Huic blandæ Charites mores finxere decentes.
Huic dedit eximiam formæ Venus aurea laudem.
Intueare oculos sub honesta fronte micantes,
Quos Iouis & Veneris stellantes dixeris ignes,
Lilia puniceo contunde colore rosarum,
Si vidisse genas vis quæ pictura coloret.
Oscula grata dabunt leuiter turgentia labra,
Sanguineos ebuli pulchros imitantia honores.
Cæsaries Berenicæa est, pura niue guttur
Candidius, palmasq; color vestiuit eburnus:
Mollibus in digitis scintillans gemma coruscat.
Quàm benè Zona latus gracile apta vtrinq; coarctat,
Harmoniam qua forma coagmentauerit artus
Inspice, corpus erit cunctis laudabile membris.
Fœlix qui tali sua porriget oscula sponsæ,
Et premet amplexu talem in sua brachia diuam.
Vt fulgore micat leto Cithereius ignis,
Et superat reliquas illustri lampade stellas,
Præuius Auroræ roseos dum nunciat arcus:
Sic reliquas superat forma & splendore puellas
Sponsa, serenantes tollens ad sidera vultus,
Dum petit augusti sacrata palatia templi.

Et iam sacra sonat verbi mysteria vates,
Connubij autorem celebrans: primosq; parentes
Qua ratione Deus coniunxerit explicat, & quàm
Religio sit magna thori, quàm fœdus honestum.
Deinde salutarem diuina voce precatur
Coniugij cursum sponsis, lectoq; iugali
Fœcundos multo fœtum denunciat annos,

Quos

Quos sine lite omni dulcis concordia pascat.
Et tota optat idem iunctis Ecclesia votis,
Quæ lato ad festos studio conuenit honores.
Ipse etiam licet haud præsens sim corpore, mente
Esse tamen præstò possum Suelunde, tibiq̃
Opto simul, dicit quam concio tota, salutem.
Et quamuis dudum mea mens tibi Petre fidesq̃
Est perspecta satis, studiosaq̃ nota voluntas:
Hos tamen incomptos munuscula vilia versus
Mitto dicoq̃ sacris sponsalibus, vt tibi nostri
Immarcesibilem cordis testentur amorem.

F I N I S.

Anno 1 5 6 3.

Die 18. Decembris.



Quae sunt omni dicit concordia pacis.
Et tota opus idem inquit Ecclesia dicit.
Quae laeto ad festos radio exaruit horreos.
Iste etiam dicit dicit presens in corpore.
Iste tamen prae se posuit dicitur.
Optimal, dicit quam canit tota salutaris.
Et quoniam dicitur dicitur in dicitur.
Et per se dicitur, dicitur nota dicitur.
Iste tamen dicitur dicitur dicitur dicitur.
Iste dicitur dicitur dicitur dicitur dicitur.
Iste dicitur dicitur dicitur dicitur dicitur.



Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





56

LVI
 CARMEN
 AVSIS AMORIS
 ALIS IN SACRVM NV.
 ditione & virtute præstantis, Magistri
 nd Flensburgensis, & pudicæ virginis
 garethæ Hakemans Hambur-
 gensis, scriptum

A
 PETRO HARRINGO
 HATSTEDIO.



1563. die 18. Decembris.
 WITTEBERGÆ
 DEBAT LAVRENTIVS
 SCHVVENCCK.

1563.

71

